

susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum, in Ps. [3, 4]. 2^o comendatur a clara sapientia et cetera. Scivit^e namque hoc bene, quod *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum*, Ia. primo, 17. Quapropter devote precabatur dicens: *Da mihi, domine, sedium tuarum assistricem sapienciam*. Item: *Mitte illam de celis sanctis tuis . . . usque coram te, domine*, Sap. 9, 4—10. Et dominus sibi respondit: *Sapientiam et scientiam dabo tibi*, 2 Par. primo, 12. Regibus autem suis dixit: *Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis*, Sap. VI^o, 22, quia ego *optavi et datus est mihi sensus . . . usque illius*, Sap.^d [7, 7]. Unde Aristoteles in suis preceptis ait: *Sapientia est speculum rationis . . . usque a tormentis*. Hanc *qui abicit infelix est*, Sap.^d III^o, 11. Quia *melior est sapientia quam arma bellica*, et qui illam habebit, omnia obtinebit, Eccl. IX^o, 18; applica sicut placet. Quapropter hac fretus sapientia gracias deo agens dicit cum Hugone de arra sponse¹⁰): *Tu dedisti, michi, domine, ut te agnoscam et pre ceteris multis de tuis secretis revelata intelligam; alios coetaneos meos in tenebris ignorancie reliquisti et mihi pre illis lumen sapiencie infudisti. Tu dedisti verius cognoscere te, purius diligere te, sincerius credere in te, ardencius sequi te. Tu dedisti sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam disertam, sermonem gratum, doctrinam suadibilem, efficaciam in opere, gratiam in conversacione, profectum in studiis, effectum in ceptis, solamen in adversis, cautelam in prosperis. Et quocumque vertebam me, ubicumque gracia et misericordia tua precessit me*. Hec ille. Quoniam tu, domine, *prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite eius coronam de lapide precioso*, in Ps. [20, 4], insignum sapientie et scientie, quibus ·N· dum viveret eleganter pollebat. Populo namque ait: *Beatas fore res publicas, si (fol. 63) eas studiosi sapientie regerent vel earum rectores studere sapientie contingisset*, in Boetio, de consolacione philosophie¹¹). 3^o princeps noster ·N· commendatur a lege et iusticia cum forma equitatis. Ipse revera fuit *iustus dominus et iusticias dilexit, equitatem vidit vultus eius*, Ps. X^o, 8. Sciebat namque ·N·, quod *iusticia perpetua est et immortalis*, iniusticia autem mortis aquisicio, Sap. [1, 15]. Eapropter suis fidelibus dixit: *Diligite iusticiam, qui iudicatis terram*, Sap.

^e) sitivit *Ms.*

^d) Prover *Ms.*

¹⁰) Migne PL 176, 967.

¹¹) 1/4, 5; Ausgabe von L. Bieler, Corpus Christianorum 94 (1957) 7.